

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 5758

**Auteur(s) :** Richard, fils de Durand, Jumièges, Saint-Pierre (moine)

**Bénéficiaire(s) :** Jumièges, Saint-Pierre (abbaye)

**Genre d'acte :** notice

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1258, 6 septembre

**Lieu d'émission :** Pont-Audemer

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Richard fils de Durand, moine de Jumièges, rapporte l'accord conclu entre l'abbaye de Jumièges et les habitants de Quillebeuf [-sur-Seine].

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissé, 1869, t. 3, p. 5-6.

Texte établi d'après a

Ego Ricardus filius Durandi, monachus Gemmeticensis, cujus dicto et ordinationi abbas et conventus Gemmeticensis, ex una parte, et omnes homines de Kileboio, ex altera, se submiserunt ad finem, super omnibus contentionibus inter ipsos usquequaque motis, ad faciendum omni modo et ad tenendum in perpetuum quecunque super dictis contentionibus dixero, prout continetur in litteris de misa super hoc confectis... Primo super hoc quod ipse abbas imputaret eisdem quod harellam fecerant contra ipsum, de quo videlicet fecit inquiri baillivus Rotomagensis, et exinde fecit quod debuit, nec invenit eos reos totaliter. Dico quod super hoc erga abbatem remaneant liberi et quieti. — Item super hoc quod ipse abbas imputabat eisdem quod turpiter et nequiter injuriati fuerunt eidem abbati et conventui de quodam sturgione quem abstulerunt servientibus suis et gentibus, quia tamen non omnes interfuerunt, sed doluerunt et adhuc dolent plurimi, ut audivi, insuper et quia dicto abbati piscis remansit et ipsum habuit, licet multum deliquerunt, ego emendam hujusmodi delicti, auctoritate quam habeo ex utraque parte, quito hac vice dictis hominibus et remitto. — Item super hoc quod eisdem imputabat quod uxorem cujusdam servientis sui verberaverunt, et ego per inquisitionem factam legitime non inveni ex toto ita fuisse, nec multum abbati super hoc deliquisse, licet in aliquo deliquerint, ego tamen eodem modo quo supra emendam hujusmodi delicti quito penitus et remitto. — Item super hoc quod ipsi homines dicebant antecessores suos quondam tradidisse in custodia in monasterio Gemmeticensi cartas de suis libertatibus, ego, super hoc diligenter inquisita veritate, ipsos etiam homines de Kileboto factum istud inveni penitus ignorantes, audita insuper veritate tocuis conventus mihi prolata per preceptum datum in virtute obediencie, perscrutatis armariis, thesauro et librariis, nichil omnino potui super hoc invenire, et ob hoc ipsos abbatem et conventum ab impetitione hujusmodi absolvo penitus et dico penitus, auctoritate mihi data, ipsos super hoc in perpetuum esse liberos et immunes. — Item super hoc quod imputabat eisdem quod adjornari fecerunt eundem coram domino rege, nec fuit aliquis contra ipsum qui de jure posset personaliter conqueri de ipso, unde petebat expensas suas in eundo et redeundo: dico quod nec est moris in laïca curia expensas hujusmodi restitui, et licet multum deliquerunt, eisdem tamen auctoritate predicta

emendam hujusmodi hac vice quito et remitto. — Item super hoc quod ipsi conquerebantur quod ipse abbas misit eos in turpem prisonem, unde petebant quinquaginta libras tur. pro injuria sibi facta et pro expensis et custibus trigenta libras turonensium, ego inveni locum non esse turpem, ut dicunt, sed a toto tempore esse appropriatum delinquentibus, et certas expensas et custos nullatenus esse predictae estimationis nec injuriam sibi factam fuisse in aliquo, dico eodem modo quo supra ipsos abbatem et conventum erga ipsos homines super hoc in perpetuum esse liberos et quietos. — Item super hoc quod dicebant non debere facere fidelitatem cuilibet abbati de novo creato, ego, super hoc inquisita veritate a pluribus fide dignis et juratis, invento ita fuisse factum et debere fieri, dico quod fidelitatem tenentur facere. — Item super hoc quod dicebant se gravari eo quod non possunt excusari per aliquem nisi personaliter intersint ad diem placitorum de boscis, licet sint in extremis partibus, dico quod, quando certum fuerit quod sint extra patriam, non tamen divertentes se fraudulenter, ad predictam diem poterunt per aliquem sine calumpnia excusari. — Item super hoc quod dicebant quod non debent ire ad placita dicti abbatis apud Ducler, nec unquam fecerunt, ego per inquisitionem legitime factam per juramentum quadraginta et plurium fide dignorum invento quod ipsi iverunt et etiam ire debent, dico quod de jure et consuetudine ibunt ad dicta placita et ire tenentur, videlicet ubicumque dictus abbas tenuerit sua placita vel teneri fecerit, videlicet apud Gemmet et Duclarum, pro quibuscumque citati fuerint tam hereditatibus quam catallis. — Hec omnia supradicta dico quod facient supradicti homines in perpetuum et debent facere de consuetudine scilicet et de jure. Actum anno Domini M° CC° L° octavo, die veneris post festum beati Gregorii, ad assisias Pontis Audomari.